

Ars picturae

...apud Latinos primi saeculi a.C....

Vitruvius, XXV a.C. De Architectura, VII

VIII. I. Ingrediar nunc minii rationes explicare. [...] Foditur enim gleba quae dicitur, antequam tractationibus ad minium perveniant, vena uti ferrum, magis subrufo colore, habens circa se rubrum puluerem. [...]

II. Hae glebae, cum collectae sunt in officinam, propter umoris plenitatem coiciuntur in fornacem, ut interarescant, et is qui ex his ab ignis vapore fumus suscitatur, cum resedit in solum furni, invenitur esse argentum vivum. Exemptis glebis, guttae eae quae residebunt propter brevitates non possunt colligi, sed in vas aquae converruntur et ibi inter se congruunt et una confunduntur. [...]

IX.I. [...] Ipsae enim glebae, cum sunt aridae, contunduntur pilis ferreis, et, lotionibus et cocturis crebris relictis stercoribus, efficiuntur ut adveniant colores.

COLORES ET MATERIA COLORUM

Praesertim Plini Secundi *Naturalis Historiae* liber XXXV, scriptus ca.XXIII a.C.

NB: - “sub[color]” = “[couleur]âtre” ou “contenant un peu de la couleur” – ex: subcaeruleus, subrufus

| adjectivum Francogallicum | adjectivum Latinum | colores (materia vel nomen) |
|------------------------------|--|---|
| blanc | albus, a, um | - cerussa (carbonicum plumbi) ^a - paraetonium (carbonicum calcis) - melinum (creta argilosa) - Eretria creta |
| noir | niger, gra, grum; ater, tra, trum | “atramentum”: de - resina vel pix exusta, - fulige (fumus lampadis) - usta (creta purpurea) |
| rouge | ruber, bra, brum; rufus, a, um (roux), color flammeus | - rubrica (terra ochra rubra) - sinopis (terra ochra rubra) - minium (oxydum plumbii, extractum de terra argenti vivi, Francogallice: vermillion) - sandaraca (metallum cum sulfure arsenici color flammeus, francogallice: réalgar) |
| jaune | (d'or) flavus; (safran) croceus; (orange ou jaune foncé de safran) luteus, a, um | - ochra (terra cum oxydo ferroso) - auripigmentum (metallum cum sulfure arsenici francogallice: jaune d'arsénic, orpiment) - crocus (francogallice: safran) |
| vert | viridis, e | - creta viridis - chrysocolla (metallum cum carbonico salis aeris). ^b |
| bleu | (d'azur) caeruleus, a, um; (gris-bleu) armenium; (violet) indicum | - aes hydratum facto (francogallice: céruleite) - armenium (sal siliceum aeris, francogallice: azurite, peut se transformer en malachite) - indicum (planta indica) |
| pourpre | purpureus | - purpurissum (metallum, praesertim Puteolanum) |

a. Plinius, in *Naturalis Historiae*: “vena argentea plumbique communis”

b. Vitruvius, in *De Architectura* (ca. XXV a.C.) IX.VI: “foditur autem ex his locis qui sunt proximi aerariis metallis.”

...apud Italienos XVI saeculi...

Leone Battista Alberti erat vir humanitatis studiosus et architectus Italus quinti decimi saeculi. Scripsit, MCDXXXVI (mille quadrigenti triginta sex), in *De pictura*:

“[C]onsuevi inter familiares dicere picturae inventorem fuisse, poetarum sententia, Narcissum illum qui sit in florem versus, nam cum sit omnium artium flos pictura, tum de Narciso omnis fabula pulchre ad rem ipsam perapta erit. Quid est enim aliud pingere quam arte superficiem illam fontis amplecti?” II.26

Dixit Alberti:

Picturam [...] circumscriptio, compositio et lumen receptio perficiunt. [...] Circumscriptio [...] ea est quae lineis ambitum fimbriarum in pictura conscribit. (II.31)

Est autem compositio ea pingendi ratio qua partes in opus picturae componuntur. Amplissimum pictoris opus historia, historiae partes corpora, corporis pars membrum est, membra pars est superficies. [...] In hac superficerum compositione maxime gratia et pulchritudo perquirenda est. Quoniam vero pacto id assequamur, nulla alia modo [...] via certior quam ut naturam ipsam intueamur, diuque ac diligentissime spectemus quemadmodum natura, mira rerum artifex, in pulcherrimis membris superficies composuerit. (II.33, 35)

[S]i, ut docuimus, recte fimbrias superficerum pictor conscriperit lumenque sedes discriminaret, facilis tum quidem erit colorandi ratio. [...] Ergo [...] in primis lumina et umbrae diligentissime notanda sunt, atque animadvertendum quam in eam superficiem in quam radii lumen feriant, color ipse insignior atque illustrior sit, tum ut dehinc sensim deficiente vi lumen idem color subfuscus reddatur. Denique animadvertendum est quo pacto semper umbrae luminibus ex adverso respondeant, ut nullo in corpore superficies lumine illustretur, in quo eodem contrarias superficies umbris obtectas non reperias. (II.46)

...et apud Francogallos XX saeculi

In Rossilione, Francogalliae regione, erat in prima parte vicesimi saeculi motus artis novae: nonnulli enim pictores novis formis artis experiri volebant. Henri Matisse (1869-1954), Pablo Picasso (1881-1973), et Chaïm Soutine (1893-1943) sunt tres ex illis pictoribus quos iam considerare volo. Picasso e Catalonia veniebat, Matisse e Francogallia, Soutine e Russia. Quorum omnes habebant quamdam eruditionem maximam et validissimam in arte picturae.


Matisse volebat spectatorum tranquillos esse simul et exhilaratos oculos. Magnum erat incepsum fulvismi (le fauvisme) scilicet rationis picturae quae visioni interiori pictoris faveret.

Picasso autem volebat nova experimenta agere. Nam per cursum eius vitae multi stili videndi sunt: primum tempus picturae naturam imitantis, deinde tempus quod caeruleum vocatur, tum tempus cubistum, dehinc, post primum bellum mundanum, tempus cuiusdam redditus ad naturam cum coloribus vividis et simplicibus. Tandem, post alterum bellum mundanum, ad cubismum sed cubismum novi generis, magis enim coloratum, rediit.

Soutine quoque stilum unicum habebat, quippe qui erat saepe perplexus, ars eius tortuosa. Etenim stilus eius favebat visioni interiori plus quam intuitioni naturae. Solebat tanto in se quanto ex se spectare, ut ita dicam. Cupiebat animam suam contortam in picturis naturae exprimere. Unde fit ut is saepe pictor "expressionistus" appelletur, cum vero non particeps esset huius motus picturae.

Museum Ceretense picturas illorum Picasso et Soutine exponit, nec vero illius Matisse. Habet etiam pulcherrima pocula a Picasso picta ubi figurata est tauromachia. Faciliora spectatu sunt quam vera tauromachia.

Picasso et Cihongo persona



Matisse: Collioure (?)



Soutine: Cagnes

